

Jucundum vero est illud, quod exhibuit S. Joannes eleemosynarius patriarcha Alexandrinus: videns enim populum suum audito evangelio mox egredi ab ecclesia, ipse sacris operans, interrupta celebratione sequi egredientes cepit, et in medio illorum consedit, mirantibusque ipsis: *Fili, inquit, ubi oves ibi et pastor. Aut igitur intrate mecum denuo in ecclesiam, aut vobiscum hic manebo.* Hac ergo ratione pudorem populo iniecit, ut in posterum nisi paracto sacrificio non egrederetur, Leontius in vita ejus. Ergo auditores: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea,* Joan. XIII.

CONCIO III.

DEFECTUS ORATIONIS PHARISÆI.

- I. Peccat recensendo opera sua bona: 1. Malo fine. 2. Adscribenda ea sibi. 3. Jactantiam suam paliando. 4. Magni aestimando, quæ non erant magna. — II. Amoliendo a se peccata: 1. In nullo se accusando. 2. Amoliendo a se gravia tantum. 3. Ea solum quibus proximus offenditur. 4. Non agnoscendo occulta sua. — III. Comparando se Publicano: 1. Proximum temere judicando. 2. Eundem accusando. 3. Eundem contemnendo. 4. Extollendo se super alios. — IV. Publicani oratio bona.

THEMA.

Pharisæus stans, hæc apud se orabat. Luc. XVIII.

Mirabile Dei judicium cernimus, auditores, in hodierno evangelio. Nam (ut ait S. Chrys. ho. IV. de verbis Isaïæ, Vidi Dominum;) « Peccator justum superavit, Publicanus Pharisæum et verba factis fuere superiora. Quomodo verba? Publicanus dicit: Deus propitius esto mihi peccatori. Pharisæus dicit: Non sum sicut cæteri homines, rapax, avarus; sed quid? Jejuno bis in sabbato, decimas de facultatibus meis. Pharisæus opera justitiæ præstabat: Publicanus verba dicebat modestiæ et verba plus potuerunt, quam facta: tantusque thesaurus cum contumelia rejicitur, et tanta inopia in divitias commutata est. Venerunt duæ naves habentes onus, ambæ portum ingressæ sunt, sed Publicanus pulchre in portum appulit: Pharisæus autem naufragium perpressus est. » Hæc Chrysost. qui in memoriam mihi reducit, quod contigit S. Ignatio Loyolæ, e terra sancta in Italiam redituro, in hist. societatis, l. I. nu. XXI. Navigaturus enim duo Christianorum navigia (præter unum Turcicum, quod in itinere periit) in portu offendit unum Venetum, firmum ac magnum prædivitis mercatoris; alterum pusillum vetustate carieque satisfaciens.

Porro in magnum ac robustum illud admissus non est Ignatius, quod diceret ei navarchus, sanctis navigio opus non esse. Ascendit ergo in parvum. Mirum dictu: Veneta navis prope Cyprum allisa in scopulos naufragium fecit; parvula et male cohærens, in qua Ignatius fuit, cursum incolumis tenuit. Idem omnino evenit in hodierno evangelio. Navis Pharisæi magna et instructa honorum operum apparatu, ecce tibi naufragium fecit: navicula Publicani pessime cohærens, salva in portum salutis venit: *Descendit enim hic justificatus in domum suam ab illo;* sed videamus nunc, quid defuerit Pharisæo.

Tria orationis illius membra sunt, in quibus varie peccavit; in primo, opera sua bona recenset; in secundo, amolitur a se peccata; in tertio, comparat se Publicano.

I. In primo membro peccavit. Primo, quia in oratione recenset opera sua bona malo fine, scilicet ad se justificandum. Non est quidem semper malum enarrare opera sua bona; sed licitum et bonum, quando id fit ad Dei gloriam vel proximi utilitatem; quemadmodum fecit Job, Ezechiel, Paulus. Sed nihil horum urgebat Pharisæum ad prædicanda opera sua. Mera ergo vanitate agitatus placuit sibi in operibus suis, velut pavo in caudæ pennis, cum eam expandens semetipsum in ea contuetur. Hanc ob causam Pharisæus stetit prope altare, quasi Dei amicus et justus: quod inde colligitur, quia solus Publicanus retro stetitse dicitur.

Secundo, quia opera illa sibi adscribit et propriæ industriæ, uti docet S. Greg. l. XXIII. moral. c. IV. Non enim ait: Non sum dono tuo et gratia tua, sicut cæteri homines, quemadmodum Paulus dicebat: *Gratia Dei sum id quod sum,* sed: *Non sum sicut cæteri,* naturam suam et semetipsum extollens. Gratuita ergo dona pro sibi debitis reputat, quæ magna ingratitudo est, velut si quis pro vase aureo accepto, gratias ageret quasi pro argenteo. Hoc est *osculari manum suam,* quod vitabat Job, c. XXXI. velut iniquitatem maximam: *Si osculatus sum manum meam,* inquit, *ore quæ est iniquitas maxima.*

Tertio, quia suam jactantiam et elationem palliat veste religiosa, gratiarum actionis: cum interim sibi potius quam Deo gratias agat. Quare hypocritam agit et Deo falsam monetam pro valida obtrudere tentat, similis spathario illi Totilæ regis, qui regio domini sui cultu adornatus venit ad S. Benedictum, decepturus virum sanctum ut pro rege ipso haberetur: sed deprehensus a Benedicto rex fictitius audivit: *Depone, fili, quod geris, quia tuum non est.* Simile se schemate adornant omnes hypocritæ et alienis tecti

larvis Deum fallere conantur; sed audient et ipsi aliquando: Deponite quod geritis, quia non est vestrum. Certe Pharisæum detexit in hodierno evangelio et fraudem ejus ostendit. Imitantur Pharisæum, quia sua prædicant opera, mentientes interim se non suam, sed Dei gloriam quærere.

Quarto, quia opera sua nimis amplificat et majora aestimat, quam sint. Enarrat enim opera tantum externa, quæ sæpe fecum continent, nec semper ad salutem necessaria sunt; non meminit interiorum, fidei, spei, charitatis, humilitatis, misericordiæ, etc. quæ præcipua et necessaria sunt. Facile tolerat diabolus opera externa, ut in vanam gloriam veneris et securus in peccatis lateas, etc. Deinde, credendum ex mala officina, vanæ scilicet gloriæ, prodiisse illa opera; quare laudem non merebantur sed potius confusionem. Denique, duo tantum recenset opera: *Jejuno bis in sabbato, decimas de omnium, quæ possideo,* quasi in his solis perfectio consistat. Ubi manet eleemosyna, orationis ala altera? Ubi opera reliqua? Ita nimirum multi ad sola externa opera attendunt, interna vero negligunt; nec curant, bona an mala intentione ea fecerint; denique, modo unum aut alterum opus faciunt, unum aut alterum præceptum impleant; jam se justos reputant, non audientes dicentem Dominum: *Hoc oportet facere, et illud non omittere.* Unde S. Greg. l. X. mor. c. XVII. ait: « Pharisæus civitatem cordis sui insidiantibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunium et eleemosynas clausit. Incassum munita sunt cætera, cum locus unus, de quo hostis patet aditus, munitus non est. » Sic ille.

II. In secundo membro peccavit. Primo, quia in nullo se accusat, quasi prorsus innocens sit; cum tamen Salomon dicat, Prov. XVIII. *Justus prior est accusator sui.* Unde idem Salomon orationis formulam hanc præscripsit, in templo usurpandam: *Peccavimus, inique egimus, impie gessimus,* III. Reg. VIII. Eademque formula usi sunt viri sancti, uti Dan. c. IX. sic inchoans orationem: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus:* Azarias item, Dan. III. Bar. c. I. Certe mendicantes laceris prodeunt vestibus, et vulnera ac mutila membra sua ostendunt, ut prætereuntes ad commiserationem excitent. Stultus foret, qui petiturus eleemosynam annulis et torque aureo sese adornaret. Hoc autem fecit Pharisæus, qui cum ad Dei beneficia impetranda miserias suas recensere deberet, recenset opera bona.

Secundo, quia amolitur a se tantum gravia peccata: rapinam, injustitiam, adulterium: non

curat leviora, nec quærit se perficere exemplo meliorum: sufficit ei, qualitercumque se purgare intuitu sordidiorum: adeoque lavat se aqua sordida, et contuetur in speculo polluto; unde parum admodum sese purgat. Apostol. ad Gal. VI. ait: *Opus suum probet unusquisque et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non altero.* « Sensus iste est, inquit S. Hier. ibi, tu, qui te aestimas spiritualem, et de alterius infirmitate robustior es, non debes imbecillitatem jacentis, sed tuam fortitudinem considerare. Athleta non ideo fortis, quia vicit infirmum, et languida adversarii membra superavit, sed si robustus est, et in sua fortitudine, non in infirmitate alterius gloriatur. » Non ergo statim sanctus, et placens Deo Pharisæus, quia nec raptor, nec injustus, nec adulter. Alii enim cursim, alii pedetentim pergunt ad infernum. Sufficit aucupi, si falconem uno pede ligatum teneat, licet cætera liberum: ita et dæmoni, si vel una, levioe licet, culpa mortali illigatum te sciat. Quare, ut apostolus monet ad Philip. III. non: *Quæ retro sunt, sed quæ ante nos,* consideranda: meliores imitandi sunt, non deteriores superandi. Pharisæum imitantur, qui de levioribus peccatis increpati objiciunt: non sum fur, non homicida, non adulter. Quasi vero minoribus etiam peccatis, quam sint hæc, non pateat atri janua Ditis.

Tertio, ab iis tantum peccatis se purgat, quibus proximus offenditur; cæterorum quibus Deus offenditur, non meminit, quasi ea nihil aestimet. Sic enim ii, qui non Deum, sed homines dumtaxat, et magistratum timent, sola ea peccata aestimant et cavent, quæ in proximi injuriam cedunt; metuunt enim, ne ab illis eandem mensuram recipiant, vel deferantur ad magistratum. Dei vero injurias, (quem longius a se distare putant, nec statim se ulcisci, nec ab aliis vindicari vident,) non curant. Hanc, arbitrator, ob causam arguit Dominus Pharisæos, Matth. XXIII. dicentes: *Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit per aurum templi debitor est.* Mos enim erat apud Judæos, ut tam inopes quam opulenti res suas deponerent in templum, velut locum tutissimum, ut patet, l. II. Macch. c. III. et docet ibi Serat. Ergo per hoc aurum proximorum jurare grave erat Judæis; per templum autem Dei jurare, nihil erat. Sed quid Dominus ad hæc? *Stulti et cæci,* inquit, *quid enim majus est, aurum an templum, quod sanctificat aurum?* Quid majus est, offendere servum an regem? Hominem an Deum?

Quarto, non orat ut cætera peccata, quæ in seipso non cernebat, Deus remittat. Sanctissimi autem viri, licet non viderent in se peccata, ni-

hilominus metuebant, ne occultis essent obnoxii. Ita S. David. cum dixisset Deo, se custodire mandata ejus, cum timore subdit, Psalm. XVIII. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.* Corrigit enim seipsum, q. d. dixi me custodire mandata tua, sed addo nunc, quantum patitur humana fragilitas. Ita S. Paulus, I. Cor. IV. *Nihil mihi conscius sum,* ait, *sed non in hoc justificatus sum.* Unde S. Basil. const. monast. c. I. ait: « Cum in multis rebus offendamus omnes, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Ideo apostolus dicebat: Nihil mihi conscius sum, etc. Concludit demum: Quare nihil mentitus sis, si te peccatorem appellaveris. » Hoc est, quod advertere debebat Pharisæus.

III. In tertio membro peccavit. Primo, quia proximum suum temere judicat. Arguit enim Publicanum et cæteros homines, rapinæ, injustitiæ, adulterii; quod tamen scire illius tantum est, qui rimatur corda. Quare raptorem seipsum constituit duplici de causa. Primo, quia arrogat sibi id quod Dei est, scire vias hominum. Secundo, quia absque causa rapit existimationem proximo in corde suo. Tametsi enim in Publicano nihil boni vidisset, non debebat tamen de eo sinistre sentire; quanto magis, cum vidit eum in templum venisse? Debebat enim cogitare, i. l. accessisse, ut veniam peccatorum suorum a Deo postularet. Quanta hæc perversitas, ex bonis indicibus malum ominari? Audi Pharisæe apostolum ad Rom. II. *Propter quod,* inquit, *inexcusabilis es, o homo, omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.* Raptorem dicis Publicanum, et tu ipse in duplo raptor evadis.

Secundo, quia proximum accusat apud Deum, diabolum imitans, qui *accusator fratrum nostrorum* dicitur, Apoc. XII. quod in conspectu Dei accuset homines. Imo pejor dæmone est; dæmon enim non fratres suos, sed nostros tantum, quibus infensus est, accusat. Licet Deus summe oderit peccata, vult tamen a nobis aliorum peccata potius excusari quam accusari, quemadmodum Christus fecit in cruce orans pro crucifixoribus suis: *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Ita Sara filia Raguëlis cujus septem viros, quibus fuit tradita, dæmon occiderat, in sua oratione non accusavit viros illos; sed sub dubio: *Aut ego,* inquit, *indigna fui illis, aut illis forsitan me non fuerunt digni; non est enim in hominis potestate consilium ejus: et mox: Non enim delectatur in perditionibus nostris.* Quia ergo Deus non delectatur in perditionibus nostris, pari ratione non delectatur in accusationibus nostris.

Tertio, quia proximum contemnit, cum dicit: *Veluti hic etiam Publicanus.* Commune est hoc superbis. Unde David, Ps. IX. dixit: *Cum superbit impius incenditur pauper,* quasi tam duris verbis superbus in pauperes incurrat, ut non tam convivia quam incendia in eos jacere videatur. Quamobrem superbia ab eodem Davide, Ps. LXXIII. *fumus* appellatur. Ubi enim nos legimus: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper,* ibi alii legunt: *Fumus eorum, qui te oderunt.* Ut ergo fumus homines ex ædibus pellit: ita superbia proximos vexat, pellit et affligit, ut difficile sit sub eodem tecto commorari cum superbo. Non est contentus superbus ut fumi instar ascendat supra alios, insuper et vexare ac despiciere alios debet. Ita Pharisæus iste non sat habuit se jactasse; debuit præterea contemnere Publicanum. Ita etiam Agar non potuit de sua fecunditate gloriari, quinetiam adversus dominam suam superbiret; siquidem concepisse se videns: *Despexit dominam suam,* Gen. XVI. Pari modo Phenenna fecunditate tumens, sterilitatem Annæ contempsit, I. Reg. I. Quam ob rem putatis Goliathum non eduxisse gladium suum contra Davidem in duello? Ait enim Scriptura Davidem eduxisse gladium e vagina Goliathi jam prostrati. Nimirum superbus Goliath de viribus suis præsumens, contempserat Davidem, adeo ut indignum sua virtute putaret, ferrum contra eum stringere, I. Reg. XVII. ita nimirum superbi dedignantur aspicere inferiores, et cum eis loqui aut incedere.

Quarto, extollit se super alios, quasi omnibus melior esset: *Non sum sicut cæteri hominum: raptorem, injusti, adulteri;* hoc ipso per arrogantiam similem se eis faciens. Unde de superbis dixit Isa. c. XXXIV. *Descendent unicornes cum eis.* Cum vilibus scilicet et abjectis in infernum: ut ibi Lyranus et Cornelius. Unicornes autem vocantur superbi, quia sicut illi solitarii vagantur, capita sublimia ferentes et aliorum consortia declinantes: ita superbi nolunt esse inter homines, sed supra homines omnia infra se, vix aliquid juxta se habere volunt. Hinc precatur idem David, Ps. XXI. *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Quem enim alias vincere nequit dæmon, sæpe elatione vincit et cornibus unicornium ferit. Hercules Anthemum terræ filium (ut fingebant poetæ) vincere non poterat cum ad terram prosterneret; inde enim viret Anthemus velut a matre terra sumpsit; at in sublime elatum non difficile strangulavit. Sic Pharisæus iste, qui vinci non poterat a dæmone in luxuria et rapina, victus est in superbia. Hinc Dominus, Luc. XII. monet: *Nolite in sublime tolli.*

IV. Vidimus, quid merserit navim Pharisæi. Videamus etiam breviter quid servarit navim Publicani. Publicanus igitur primo, nulla sua recenset merita, non humilitatem, non verecundiam, non pœnitentiam suam, nec alia opera prius facta. Unde retro stat. Deinde, peccatorem se fatetur, peccata sua non alteri, sed sibi tantum adscribit, et propterea percutit cor suum et præ pudore non audet oculos levare. Tertio, Pharisæo se non comparat, multo minus præponit; imo retro ipsum stat, non sinistre de ipso sentit. Et descendit hic præ illo justificatus in domum suam. Pharisæus cum Simone illo mago in altum evolavit, et ad terram dejectus est: Publicanus humi repens, in altum evectus est. Ille naufragium fecit, hic salvus et incolumis appulit. Ergo, auditores, caveamus navim Pharisæi, Publicani navim inscendamus, ut non in alto pericitemur, sed in humili salvemur.

CONCIO IV.

DE VARIIS ORANDI RITIBUS.

I. Cur clara voce oremus. — II. Cur caput nudemus viri. — III. Cur jungamus manus. — IV. Cur flectamus genua. — V. Cur prostrato corpore oremus. — VI. Cur inclinemus caput. — VII. Cur stemus subinde.

THEMA.

Publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum. Luc. XVIII.

Magnus ille orator et obsecrator, David, auditores, nequaquam satis habuit quomodocumque et simpliciter orare; sed adhibuit cantum et musicum instrumentum. Ita enim ipse ait, Ps. LXX. *Psallam tibi in cithara?* et Psal. CXLIII. *In psalterio decachordo psallam tibi.* Itaque et ore precatus est, et voce cecinit, et manu citharam percussit, atque ut ea bene sonaret, prius attemperavit. Qua re, nisi fallor, voluit nos docere, ut ne satis esse putemus, sola mente aut voce orare, sed ut vocali orationi decentem quoque adhibeamus corporis compositionem, quasi citharam quamdam bene attemperatam et scite pulsatam, quo et mente et corpore orare videamur. Idipsum in hodierno evangelio docuit nos Publicanus, qui non solum voce orabat, sed præterea a longe stabat quasi indignus Dei conspectu; deinde, oculos demittebat quasi indignus qui cælum aspiceret; denique, percutiebat pectus suum, quasi citharam, videlicet ut bene Deo sonaret. Hos et his similes ritus adhibebant orationi alii

quoque viri devoti. Præter enim vocalem orationem, alii genua submittebant, alii manus jungebant et in cælum tollebant, alii se in terram prosternebant, alii pectus tundebant, plerique omnes caput nudabant, atque ita membra corporis sui ad orationem componebant; ut voce simul et cithara, seu mente simul et corpore Deum exorarent. Quoniam igitur hi ritus nequaquam vani aut pueriles sunt, sed magna ratione nituntur, a nobis explicandi sunt.

I. Clara voce oramus, saltem quando communis est oratio, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi offertur. Cujus rei triplicem rationem affert S. Thomas, II-II. q. LXXXIII. art. XII. Primo, fit ad excitandam interiorem devotionem, qua mens orantis elevetur in Deum; siquidem per exteriora signa sive vocum sive aliarum rerum movetur animus secundum apprehensionem et per consequens secundum affectionem, uti docet S. August. ep. CXXII. ad Probam. Ipsa enim vox dum in auribus resonat, animum ad attentionem excitat, et ad devotionem stimulat.

Secundo, ad reddendum Deo debitum, ut homo ei serviat tam corpore quam mente; quia utrumque ab eo possidet. Atque hoc est sacrificium, quod requisivit Deus, Ose. XIV. ab Hebræis, ad iram suam placandam: *Tollite vobiscum verba,* inquit, *et convertimini ad Dominum, et dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: et reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Qui sunt vituli labiorum, nisi verba deprecatoria, humilia et lacrymosa, quæ afferri jubet Deus ad sedandam iram suam? Ita enim eum textum exponit S. Thomas, loco citato. Si sola hominis mens eget Dei auxilio, sola ipsa oret; at si Dei subsidio eget etiam corpus, ipsum quoque oret, quod facit oratione vocali. Anima hominis indiget remissione peccatorum, gratia, perseverantia, illustratione, directione, gloria: corpus eget cibo, vestitu, sanitate, protectione, etc. Utrique ergo mendicandi necessitas incumbit.

Tertio, ob quamdam redundantiam ab anima in corpus ex vehementi affectione, secundum illud Psal. XV. *Lætatum est cor meum et exullavit lingua mea.* Si enim Domino asserente: *Ex abundantia cordis os loquitur,* quid mirum, si devotio cordis superaffluat in os?

II. Caput denudamus viri dum oramus, velant vero mulieres, uti præcipit apostol. I. Cor. XI. Primo, ob virorum præcellentiam, quia sunt: *Imago et gloria Dei,* ait Paulus, hoc est, gloriosa Dei imago, in qua maxime elucet Dei majestas et imperium. Est enim vir non solum secundum intrinsecam rationem imaginis, quæ consistit in

intelligentia et libero arbitrio, Dei similis : sed etiam secundum extrinsecam, quæ est independentia a creaturis seu absolutum super illas omnes dominium, ratione cujus est quasi Deus quidam terrestris dominans omnibus, etiam mulieri. Mulier vero etsi in ratione illa intrinseca Dei imago est, non tamen in hac extrinseca. Itaque vir proprie *imago et gloria Dei est*, mulier autem gloria viri. Cum ergo Dei gloria revelanda, hominis vero gloria occultanda sit, decet virum orare detecto, mulierem vero cooperto capite. Ita ratiocinatur apostolus. Ad hæc quia pileus seu velamen quoddam capitis ligamen est, non decet virum omnibus creaturis præpositum, ligatum esse dum orat et cum Deo agit : decet vero mulierem, quia viro subjecta est.

Secundo, ob divinæ majestatis reverentiam. Ab antiquis enim temporibus fere apud omnes gentes usus obtinuit, ut quem honorare volumus, ei caput aperiamus, hoc ergo multo maxime decet facere Deo. Sane Albertus Crantzius, in sua Wandalia asserit oratorem Italum, eo quod caput suum coram principe Moscovitarum non nudasset, crudeliter fuisse interemptum. « Cum enim orator patriæ suæ consuetudinem (quæ nullius dignitas vel majestas tecto capite orantis offendi putaretur) allegaret, efferus princeps ferreo clavo tegumentum cerebro affigi jussit, irrisorie asserens se vultum hujusmodi tali memoria non violaturum, sed confirmaturum. » Ita refert Olaus M. l. XI. Severior quidem æquo hæc mulcta fuit ; si tamen simili irreverentia cum Deo ageremus nec dignemur coram eo aperire caput, non video quomodo tali mulcta non plectendi videremur. Si enim istud facimus viro paulo honoratori, Deo non faciemus ? Et si cælestis aulæ præpositi, Cherubini et Seraphini cum timore et tremore, toti ad reverentiam compositi assistunt coram Deo (ut alias ostendimus) non id faciemus nos, hujus mundi stabularii ?

Tertio, ob orationis conditionem, quæ tam aperta, candida et æqua esse debet, ut non refugiat audiri et videri ab universo mundo. Decet nostra oratione proximum ædificari, ut ex ipsa corporis compositione, animadvertat nos cum Deo ac sicut fas est, loqui de rebus seriis et magnis : decet etiam ut nil aliud petamus, quam quod æquum et salutare est ; proinde etiam decet ut oratio externum candorem in orante præ se ferat : hinc non tecto aut velato, sed aperto capite oramus. Gentilis ille Seneca, ep. X. scripsit : *Sic vive cum hominibus tamquam Deus videat : sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant*. Vult dicere, tam æqua et seria tanta

cum discretione, cautela et reverentia a Deo petenda esse, ut totus mundus inspector orationis esse possit. Non ergo tecto capite et animo, sed aperto vultu orandum esse.

III. Junctas manus attollimus. Ita orasse Davidem discimus ex psalmis. Etenim Ps. LXXXVII. ait : *Clamavi ad te tota die, expandi ad te manus meas* : et Ps. CXL. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* : et Ps. CXLIV. *Expandi manus meas ad te*. Ita Moyses, Exod. XVII. oravit in vertice collis, et quamdiu levavit manus, tandiu vincebat Israel : cum remittebat manus superabat Amalec. Ita enim Salomon, III. Reg. VIII. et II. Par. VI. Denique eo ritu, omnes fere gentes orare consueverunt. Sic enim Aristoteles, lib. de mundo, c. VII. ait : *Omnes homines ad cælum manus tollimus, preces facturi*. Apuleius etiam lib. de mundo : *Habitus, inquit, orantium hic est, ut manibus extensis ad cælum precemur*. Idem præcipit apost. I. Tim. II. dicens : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus*. Eusebius quoque, l. IV. de vita Constantini, cap. XXVIII. recitat legem Constantini, qua jussit etiam gentiles feriarum die dominico ; et vota sua Deo nuncupare manibus æque ac animis in cælum elevatis. Porro in hunc modum oramus variis de causis. Primo, quia hic habitus est supplicis et petentis veniam atque auxilium, quo modo naufragi manus extendunt, subsidium querentes. Ipsa vero manuum consortio indicat nos aliquid admisisse, propter quod manus nostræ velut malorum operum instrumenta ligari debeant, ut docuit Nicolaus papa ad consultationes Bulgarorum. « Quia in evangelio, inquit, reproborum ligari manus et pedes reperiuntur, quid aliud isti agunt, qui manus suas quodammodo ligant, nisi Domino quodammodo dicant : Domine, ne manus meas ligari præcipias ut mittas in tenebras exteriores, quoniam ecce ego jam eas ligavi, et ecce in flagella paratus sum. » Similiter Tertull. apol. XXX. « Paratus est, inquit, ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani ; quasi dicat : Necte et plecte, si vis, aut certe miserere. »

Secundo, ut indicemus nos de cælo expectare opem, dum versus cælum manus tollimus, quasi inde eleemosynam capturi ; qua ratione scribunt cynocephalum statis temporibus anteriores pedes velut manus adorandum erigere versus lunam, a cujus incremento et decremento ipsius valetudo pendet, teste Pierio, l. VI. hierogl. Propterea Salomon, III. Reg. VIII. dum oraret, dicitur in cælum expandisse manus suas, quia videlicet a cælo vidit dependere suam felicitatem ; illuc igitur extendit manus, unde

opem expectabat ; mendicorum instar, qui ad transeuntes divites manus suas tendunt.

Tertio, ut ea elevatione demonstramus, nos ita Deo offerre orationem et cor nostrum, quo modo elevamus et offerimus nostras manus ; ut docet Clemens Alexandr. l. VII. Strom. Vidit hoc vel ipse Xenophon. l. IX. Cyropædiæ : « Manus, ait, sustollimus in cælum : quo habitu testamur nos vel orationem tamquam munus jucundissimum Deo offerre : vel cor quasi donum eximium, attollere ad Deum. » Ita suadet Jeremias, Thren. II. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum : effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini : leva ad eum manus tuas*.

Quarto, ut affectum nostrum exprimamus, et desiderium rerum cælestium, quas petimus et desideramus, quasi eas manibus jamjam comprehensuri, et vim facturi. Ita fecisse Bebianum consulem moriturum, cum ei se videndum Deus exhiberet, habet carmen de ipso conscriptum, in bibliotheca ss. patrum, tom. VIII.

Quinto, ut testemur, nos velle ac debere orationi jungere manus, hoc est, bona opera. Recte Bias, Græcorum sapientum unus, apud Stobæum dixit eos, qui sibi mentem a Deo bonam dari precarentur, nec tamen disciplinam capessent, parum cordatos esse. « Quando neque ut pictor quisque bonus evadat, dari sibi a Deo bonos colores, et lineam optat, quin magis artem perdiscit. Sicut nec votis proficit, qui musicus esse cupit, nisi artem consecutetur. Adeo nihil prodest circa preces occupari, nisi recte vivendi studio tenearis. » Sic ille. « Elevat ergo manus, inquit Origenes, homil. XI. in Exod. qui thesaurizat in cælum, ubi enim thesaurus ejus, ibi et oculus ejus, ibi et manus ejus : » et S. August. serm. XXXIX. de temp. « In manibus, inquit, opera debemus accipere. Si ergo talia sunt opera tua, ut illa possis in altum in conspectu Domini levare, potes etiam et tu in teipso adversarios tuos extinguere. Quis bene manus levat, nisi qui per eleemosynam in cælo jugiter thesaurizat ? Quis ergo bene manus levat, nisi qui assidue victum ac vestitum pauperibus ministrat ? Quis bene manus levat ? Ille utique qui implet illud apostoli : *Elevantes, inquit, puras manus sine ira et disceptatione*. » E contra si ad peccata et injurias proximi manus elevemus, jure de nobis conqueri Christus potest, dicereque id, quod scribit B. Hippolytus, lib. de consum. sæculi : *Ego, inquit, manus vestras feci, ut ad preces et orationes extenderitis eas, at vos ad rapinas et cædes et mutuas occisiones extendistis*.

Eadem fere ratio est expansionis manuum in formam crucis, nisi quod hæc præterea ad imi-

tationem Christi crucifixi nos conformat, ejusque merita Patri velut efficacissimum ad impetrandum medium ante oculos ponit : *Extensio manuum*, inquit S. Ephrem, tom. II. parænesi I. *est crucis figura*.

IV. Flectimus genua. Id fecisse legimus Salomonem in templo orantem, III. Reg. VIII. Danielem, Dan. VI. ipsum Christum, qui in monte Oliveti positus oravit genibus ; deinde S. Jacobum, fratrem Domini, qui ex crebra genuflexione contraxit genua callosa instar cameli ; S. Bartholomæum, qui centies per diem, et centies per noctem flexis orabat genibus, quemadmodum et S. Martham. Idem apud gentes in more positum fuisse ostendunt milites, qui genu flexo Christo illudebant ; Amazonum regina, quæ ante Victorem Herculem flexis procubuit genibus, apud Senecam, in Hercule furente ; Actæon, apud Ovid. l. III. metamorph.

Id vero facimus primo, in signum humilitatis, qua nos Deo subjicimus, et subjectos exhibemus. Hac enim flexione aliquid de corporis proceritate nobis demimus, et tanto breviores ac quodammodo despiciat evadimus, quanto altiores sumus, dum stamus. Ac quoniam Deo omnibus titulis subjectissimi sumus, jure merito non unum dumtaxat, sed utrumque genu curvamus ante ipsum, id quod etiam Salomon expresse fecisse scribitur, III. Reg. VIII. *Utrumque enim genu in terram fixerat*, inquit sacer textus. Quare S. Chrysostomus sub sacro officio lustrans populum, si quem invenisset, in unum tantum genu procidisse, baculo percutiebat, Chavass. de prud. l. I. c. IX. Vox Dei imperantis est : *Mihi curvabitur omne genu*, Isa. XLV.

Secundo, in signum ferventis orationis. Cum enim rem grandem petere, vel sæpius repulsi serio, et ferventer, ac cum lacrymis orare volumus, in genua procumbimus. Ita Daniel, quando magno affectu Dei implorabat opem flectebat genua sua, et adorabat, Dan. VI. Stephanus ferventi oratione pro inimicis supplicare contendens (ut observat August. serm. CCXXXVII. de temp.) positus genibus orabat, Act. VII. Paulus valedicturus optimis amicis in littore positus genibus orabat, Act. XXI. et cum rem grandem vellet imperare : *Hujus rei gratia, inquit, flecto genua mea ad Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi*, ad Eph. III. Petrus, cum voluit Tabithæ extinctæ vitam impetrare, ponens genua oravit, Act. IX. similiter cum Simonem magnum, volare præsumentem, ex aere dejicere. Scribit Evagrius, l. VI. hist. c. XII. circa annum Dom. 588. milites quosdam contra ducem Philippicum quem juraverant, nunquam se recep-